Jahresbericht

über das

Königl. Gymnasium zu Rastenburg

für

das Schuljahr von Michaelis **1838** bis dahin **1839**

womit zur

öffentlichen Prüfung

der Schüler

am 26. und 27. September

und zur

feierlichen Entlassung der Abiturienten

am 27. September Nachmittags 3 Uhr

die Eltern und Freunde des Schulwesens

ergebenst einladet

J. W. G. Heinicke, Director.

Vorausgeht eine Abhandlung des Oberlehrers Horn: originationes epicae.

Rastenburg, 1839.

Gedruckt bei August Haberland.

Originationes epicae.

Specimen primum.

Scripsit

Fridericus Julius Horn,

Gymn. Reg. Praec.

Acropaulae MDCCCXXXIX.

Impressit Aug. Haberland.

Quemadmodum totius Graecae antiquitatis studia, sic verborum derivandorum indagatio, quam originationem vocat Quintilianus [1]) in Homeri potissimum et antiquiorum omnino poetarum carminibus ita nititur, ut propria cuiusque vocis natura et significatio inde sit cognoscenda. Etenim apud illos poetas genuinae occurrunt et integrae vocabulorum formae, quae apud insequentium aetatum scriptores haud raro contractae et velut decurtatae leguntur: ac maior etiam significationum immutatio, quae sensim et quasi per gradus alia in aliam transeunt, ut nisi ad originem respicere liceat, diversissimas saepe eiusdem vocis sententias vel explicationes nullo vinculo comprehensas putaveris. Neque tamen in singulis tantum inhaerendum vocibus, sed genera potius et familias vocabulorum exquiramus necesse est, ita ut quae terminationes et formandi rationes Homero magis minusve peculiares fuerint, quam certissimis analogiae lineis definiatur. Nam quis neget, Grammaticos et veteres et recentiores in his quaestionibus ipsos sibi indulgentes somnia pro veris protulisse, quippe qui singulorum verborum derivationem ad libidinem magis, quam ad certam analogiae rationem diiudicarint? Unde totum hoc studium fere in contemtionem est adductum neque immerito ridetur a viris quibusdam sobriis. Si vero reiectis illis ineptiis, hanc, quam diximus, viam ingredimur, tum profecto oritur quasi historica artis Grammaticae tractatio; neque nihil inde adiumenti petendum ad aetates singulorum scriptorum circumscribendas. Nam posteriores poetae, velut Epici e scholis Alexandrinorum et Byzantiorum in apertis quidem rebus veterum vestigia anxia diligentia premunt, male imitando potius peccantes quam quidquam novando; sed in mirabili hac verborum fabrica rationum ignari facile in errores delabuntur.

§. 1. Explicantur voces ἀπηνής et ἐνηής.

Mirum in modum Passovius, secutus veteres Grammaticos, vocem ἀπηνής derivat ab ἠΰς s. ἐΰς, insertam censens consonam ν. Ita enim explicatur in

1) Quint. Instit. Orator. I, 6, 28.

Etymol. M. ἀπηνής· παρὰ τὸ ἠΰς γίνεται ἠής, καὶ πλεονασμῷ τοῦ ν, ἠνὴς καὶ ἀπηνὴς ὁ σκληρός, et similiter apud Eustath. ad Il. XVII, 204. Ac veteres quidem Grammaticos talia literarum fulcra non sprevisse scimus; neque Dammium miramur haec probantem: Passovium vero quis ferat eo usque progressum, ut ἐνηής non ab ἠΰς cum veteribus (conf. Eustath. ad Il. II, 764.) derivaret, sed pro ἐνηνής formatum diceret, eiecta scilicet eadem illa consona, quam alteri voci insertam affirmarat. Fraudem fecerunt viro docto Grammatici, voces ἐνηής, προσηνής, ἀπηνής identidem comparantes; neque quisquam dubitaverit, quin ἀπηνής et προσηνής artissime cóhaereant: sed qua tandem machina illud ν mox inseri, mox eiici poterat? Constat sane in perfectis verborum liquidorum et verbalibus etiam substantivis inde derivatis talia fieri [2]; de compositis vero adiectivis praefracte nego. Omnino Graeci in adiectivis componendis simplicium vocabulorum formas integras servare solent, ne vocalium quidem mutationes admittentes, quibus Latina lingua utitur: consonas vero mediis stirpibus iniici ad hiatum videlicet evitandum, nemo probare poterit; et notissima illa ἀπάλαμνος (Hom. Il. V, 597.) et νώνυμνος (Il. XII, 70. XIII, 227. XIV, 70. Od. I, 222.) pro νώνυμος (Od. XIII, 239. XIV, 182.), quae literam insiticiam in terminatione assumserunt, prorsus aliam sequuntur rationem.

Ut ordiar a voce faciliore: ἐνηής ab ἠΰς deducitur, velut ab ὠκύς, ποδώκης, de quo dixit Lobeck. ad Phrynich. p. 533. seqq [3], estque idem in terminatione

2) Conf. Lobeck. ad Phrynich. p. 34. et Paralip. p. 421.

3) Praeterea exstant apud Poetam: χαλκοβαρής, οἰνοβαρές, ἀγχιβαθής, μελιηδής, θυμηδής, quae a substantivis neutralibus βάρος, βάθος, ἦδος (Il. I, 576.) ut repetam, fere persuadet Buttmannus (Gramm. Graec. ampl. II. p. 365.), qua via accentuum etiam ratio facilius explicatur, quam a veteribus Grammaticis factum est ad Il. II, 764. Sed restat difficultas in voce μελιηδής, quam veteres, qui in mediis etiam vocibus spiritus habebant, μελιηδής vel μελιήδής scripserunt. Ultima ratio Aristarchi videtur fuisse, si comparamus Schol. ad Il. IV, 346. et XVIII, 568. conf. Eustath ad Il. V, 77. Sed alii Grammatici ψιλῶς scripserunt μελιηδής, ut Etym. M. habet, causam addens: ἀρκεῖ γὰρ τὸ μέλι πρὸς τὸ ἐμφανίσαι τὴν ἡδονήν, quae vix intelligeremus, nisi Hesychius haec praeberet: μελιηδές, μελιτῶδες, ἥδιστον. διὸ καὶ ἐψιλοῦτο. παρήχθη γὰρ παρὰ τὸ μέλι· ἔνιοι δ', ὡς μέλι ἡδύ. διὸ καὶ ἐδάσυνον. Nisi fallor, ante Aristarchum ἡ παράδοσις praebebat μελιηδής spiritu leni, quod Grammatici explicarunt mira ratione, vocem per paragogen a simplici μέλι deducentes, quo non sine causa reiecto, Aristarchus sive alius quispiam

metaplasmus, ac si a μῆτις derivantur ἀγκυλομήτης, ποικιλομήτης, δολομήτης, quae Homerus habet, et αἰολομήτης, quo Hesiodus usus est (cf. Fragm. XXVIII. ed. Hal. p. 95.). Maior in significatione difficultas: ἐνηής, quo Homerus utitur Il. XVII, 204. XXI, 96. XXIII, 252. 648. Od. VIII, 200. add. ἐνηείη Il. XVII, 670., ubique est: comis, clemens, bonus, neque multum differt a simplici ἐΰς, ἠΰς, nisi quod illud ad animi indolem semper refertur, hoc vero vel de externa specie vel de animo dicitur. Abundanter igitur, ut dicunt, praepositio addita vel potius eius vis non satis aperta est. Jam scimus nos quidem similiter praefixam esse praepositionem in ἔμπλειος, ἐναλίγκιος, ἐναντίος quibus cum comparari possunt ἐπίξυνος Il. XII, 422. et ἐπάξιος Pind. Isthm. 3, 62. Nem. 7, 89. ed. Dissen.; at quis non videt, haec omnia adiectiva relationem exprimere ad nomen sive appositum sive cogitatum, unde relativa adiectiva a recentioribus Grammaticis appellantur? Vox ἐνηής ad hunc numerum non pertinet, neque omnino habeo simile exemplum ex Homeri carminibus desumtum [4]. Attamen dixerim, praepositionem ἐν in hac quoque voce vi intensiva esse additam, ut artiorem eius notionis ad animum relationem exprimat, velut in quibusdam linguae vernaculae dialectis praepositio in adiectivis praefigitur: ingut, inlieb, inschön [5], quae cum Graeco ἐνηής prorsus conveniunt.

Quodsi in voce ἐνηής praepositio abundanter est addita, ut vulgo dicunt, accentus quoque non retracti ratio patet. Constat enim, in iis vocibus compositis, quae περιττὴν ἔχειν τὴν πρόθεσιν veteribus videbantur, velut ἐπιβουκόλος, ὑποδμώς, καταθνητός, ἐναντίος, accentum simplicis vocabuli non mutari [6].

Grammaticorum, spiritum mutandum censebat, ad adiectivum ἡδύς ultimam partem referens. At poterat vox ab ἦδος deduci, salvo spiritu leni, qui vetusta traditione confirmatus videtur. Quodsi μελιηδής, θυμηδής ab ἦδος derivantur, de ceteris nemo dubitaverit; et ἐμβριθής, quod Etym. M. a βριθύς ducit, vel ad βρίθω, vel id quoque ad βρῖθος referendum.

4) Schol. Eurip. Hec. 304. praebet ἐμπρόθυμος, vocem serioris aevi, quam in lexicis vulgaribus non legimus.

5) Vid. Grimmius Gramm. Germ. II. p. 761.

6) Conf. Eustath. ad Il. XV, 144. ad Od. IV, 386. et Schol. ad loc. Odyss., ubi ad v. ὑποδμώς legimus: παρέλκει ἡ ὑπό, διαφυλάττει δὲ τὴν ὀξεῖαν.

Quare ἐνηής non sine causa acutum in ultima servavit, ποδώκης vero in penultimam reiecit ex communi lege compositionis. 7)

Transeo ad vocem ἀπηνής, quae neque ab ἠΰς derivari potest, neque explicari ἄπο αἴνου, ut Eustath. dicit ad Il. I, 340. conf. Etym. M. s. v. Satis frequens est ea vox apud Homerum Il. I, 340. XV, 94. 202. XVI, 35. Od. XVIII, 380. XIX, 329. etc. et recte a Grammaticis explicatur: σκληρός, ὠμός, χαλεπός, κακός, a quibus non multum distat Atticorum usus, quos τὸ ἀπαίδευτον dixisse ἀπηνές, Eustathius observat. 8) Omnino vox ἀπηνής lucem accipit a contrario προσηνής, quod Homerus et Hesiodus nondum habent, sed Pindarus Doricam formam προσανής praebet Pyth. 3, 52. 10, 64. Tum vocem adhibent Herodot 2, 94. et Hippocrates 9) et alii, estque ea vario usu trita a serioris aevi scriptoribus velut ab Orpheo in Hymnis et a sacrae scripturae interpretibus. Bene explicat Hesychius προσηνές. καλόν, ἡδύ, ἐπιεικές, ἀγαθόν, πρᾶον, χρηστόν. Quamquam in vocibus tam dubiis minime necesse est, reiecta vulgari originatione, novam proponi, sed abstinendum potius tali conatu: dicam tamen quod sentio. Amplector enim eam rationem, quam inter ceteras Etymol. M. praebet: ὁ ἡνίαις μὴ εἴκων, τουτέστι σκληρὸς ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν ἵππων τῶν δυσηνίων. ac similiter Schol. ad Il. XV, 94. ὁ ἄποθεν τῶν ἡνίων τῆς χρηστότητος. Crediderim igitur ἀπηνής et προσηνής a voce ἡνία derivanda, quae neutralis forma in numero plurali frequens est apud Homerum, femininum ἡνίαι (ἁνίαι) apud Pindarum et alios. Constat vero ἡνία s. ἡνίαι

7) Cum illis compositis adiectivis in ής, quae a substantivis et verbis derivantur, velut περικαλλής, ἐκπρεπής, comparari nequit ποδώκης; sed cetera illa, quae supra attuli χαλκοβαρής, ἀγχιβαθής, μελιηδής ad substantiva relata, accentum in ultima tenere debebant, excepta anomala feminini forma χαλκοβάρεια, quae ad simplex βαρύς, ρεῖα recurrens, ex lege Grammaticorum (δριμύς, ἄδριμυς, τραχύς, ἄτραχυς) accentum retrahit. Neque cum voce ἀσαφής comparari potest ποδώκης, quia illud cum terminatione simplicis integra accentum quoque servavit.

Ceterum scio, quae de accentu v. ποδώκης a Grammaticis disputata sunt. Conf. Lobeck. l. c. et Lehrs Quaest. Epic. p 162. Sed placuit, nova quadem ratione difficilem quaestionem aggredi.

8) Apud Hesychium I, 448. extra seriem literarum legitur glossa ἀπηνής. ἀπήρητος. Si sana est prima vox, crediderim ex Eustathio corrigendum ἀπαίδευτος.

9) Conf. Dissen. ad Pind. p. 207. et Foesii Oecon. Hippocrat.

accepta terminatione *ιον* s. *ια* deductum esse a prototypo simpliciore, quod sive *ἥνη* fuit, sive alio modo expressum, nihil equidem moror: sed necesse est talem vocem subiiciamus, ad derivanda *ἀπηνής*, *προςηνής*, quae vocalem *ι* alia ratione abiicere non poterant. Restat altera difficultas in spiritu, quem mutatum in componendo non sine exemplis censeo; nam notissimae sunt Grammaticorum observationes de vocibus *λεύκιππος*, *ἔπηλις*, *ἐπίστιον*, *ἀπηλιώτης*, *ἀντήλιος αὐτόδιον*, quae, ut solent, ad ionicam dialectum referunt.[10] Ex his apud Homerum unum occurrit *ἐπίστιον* Od. VI, 265., sed addendum *ἐπίσταμαι*, cuius eadem est ratio.

Ceterum Passovius, a quo orsa est haec disputatio, ipse in derivanda voce *ὑπήνη* eandem viam iniit, quam nos in *ἀπηνής* secuti sumus, ducens illud ab *ὑπό* et *ἡνία* (*ἥνη*). Fortasse sunt, qui haec omnia per paragogen explicare malint a praepositionibus *ἀπό*, *ὑπό*:[11] sed obstat *προςηνής*, quod ita derivari nequit; et quae apud Homerum a praepositionibus formata exstant *ἄπιος*, *ἀντίος* significationem localem retinent et simplicissima terminatione utuntur.

§. 2. Quaeritur de consonis insiticiis in syllaba articulari compositorum.

Quodsi recte negavimus, in voce *ἀπηνής* consonam *ν* inter duas vocales mediae stirpi inseri potuisse, sponte ducimur ad similem quaestionem, num in syllaba articulari compositorum, quae alterius vocabuli fine, alterius initio constat,[12] id Graecis licuerit, et quibus legibus ea res sit definienda.

Consonam *ν* ad hunc usum adhiberi, communis est Grammaticorum sententia, neque equidem negaverim; at contendo illud *ν* nusquam temere esse iniectum, sed ita tantum, ut alterutri voci adhaereat vel quadam analogiae specie adhaerere videatur.

Primum id probat *τὸ στερητικὸν α*, cuius formam alteram *αν* vocalibus saepius praeponi omnes sciunt. Non negaverim id ad hiatum evitandum esse factum, quanquam non omnia exempla, in quibus *α* solum ante vocalem occurrit, per illud digamma explicari possint;[13] neque magni pendo *ἀμφασίη*

10) Eustath. ad Il. I, 197. V, 77. ad Odyss. VI, 265. Conf. Interpr. ad Greg. Cor. de dial. p. 399. et Lobeckium ad Aiac. v. 805.

11) Conf. Lobeck. ad Aiac. v. 931. p. 404.

12) Lobeckii haec verba sunt ad Phryn. p. 633.

13) Vid. Buttm. Gramm. Gr. ampl. II, p. 357. et Thiersch. p. 264.

(Hom. Il. XVII, 695. Od. IV, 704.), in quo Buttmannus αν ante consonam positum censet, quum illud μ euphoniae causa interponi potuerit, ut in φθισίμβροτος, τερψίμβροτος, ἄμβροτος, quibuscum id bene comparat Thierschius p. 268. Sed formae ανα et νη, quas in aliis vocibus reperimus, comparatae cum adverbio ἄνευ, luculenter ostendunt, consonam in stirpe τοῦ στερητικοῦ μορίου fuisse, neque temere esse affixam; atque idem Buttmannus dixit Gram. Gr. p. 357. Comprobat hoc aliarum linguarum comparatio: etenim non modo in Latina lingua, sed etiam in Gothorum, Germanorum, Scandinaviorum dialectis negativae particulae, et separabilis et inseparabilis, consonam habent et nonnunquam abiiciunt.[14]

His exceptis, in Homerica copia nullam invenio vocem, quae in hunc censum referri debeat, excepta Θρινακίη, de cuius originatione non minus ambigitur, quam de situ insulae. Ita enim Eustath. ad Od. XI, 106. οἱονεὶ Τριακρία, ἐπεὶ τρία ἔχει ἄκρα, ὅ ἐστιν ἀκρωτήρια. Similiter Etymol. M. οἱονεὶ τρινακρία τις οὖσα· conf. Etymol. Gud. et Hesych. s. v. Accedunt Romani poetae, apud quos Trinacria et Trinacris occurrunt, et Geographi, inter quos Strabonem solum afferam Lib. VI, C. 2. ita dicentem: Τρινακρία μὲν πρότερον, Τρινακὶς δ' ὕστερον προσηγορεύθη, μετονομασθεῖσα εὐφωνότερον. Recepta igitur erat a veteribus haec derivatio, qua ab ἀκή Θρινακίη deducebatur, vel si placet, ab ἄκρα, eiecta consona ρ. Nam qui Τρινακρία scribebant, sane eam originationem secuti sunt. Ac primum quidem apud Homerum non substantivum est, sed epitheton: Θρινακίη νῆσος (Od. XI, 106. XII, 127. 135. XIX, 275.), velut Αἰαίη νῆσος (Od. X, 135. XI, 70. XII, 3.), postea demum pro substantivo habitum. Deinde repudianda originatio, quam iam Stephanus Byzantius praebet p. 666. ed. Pined. ὅτι θρίνακι ἐστιν ὁμοία; quod idem I. H. Vossio et aliis probatum erat. Ipsa vox θρῖναξ (Aristoph. Pac. 566.) utrum composita sit necne, nihil ambigam; si vero licet ludere in derivando, videor mihi in ea stirpem Latinae vocis nanciscor nactus observare.[15] Malint alii paragogicam syllabam νακ interpretari, quibus non re-

14) Conf. Grimm Gr. Germ. II, p. 775. III, p. 261.

15) Credibile est, hoc nomen non a Graecis inventum, sed indigenarum Siculorum fuisse proprium, siquidem urbem Θρινακίαν in media insula sitam, nobilissimam omnium, quae non a Graecis fuerint conditae, Diodorus memoriae tradidit. — Ceterum graecae voces νάκη (Od. XIV, 530.), νάκος,

pugno. Qui vero post Homerum ea voce usi sunt, sensim Θρινακίην in Τρινακρίαν mutarunt, de origine vocabuli non cogitantes. Ceterum Homerus omnia composita a voce ἀκή format in ηκης: ταναήκης, τανυήκης, πυριήκης, νεήκης, εὐήκης, προήκης, αμφήκης, nunquam in hac stirpe terminatione ιος utitur.

Ad absolvendam hanc quaestionem addam voces e Tragicorum fabulis προνώπιον, προνωπής, quae speciem interpositae consonae prae se ferunt. Notissima sunt Homeri ἐνώπια παμφανόωντα Il. VIII, 435. XIII, 261. Od. IV, 42. XXII, 121. anterior pars aedium in ipsis foribus, per quas atrium lucem accipiebat, sive parietes iuxta fores vel ex adverso positi: ab his discernit Hesychius προνώπια. τὰ ἔμπροσθεν τῶν πυλῶν, καθάπερ ἐνώπια τὰ ἔνδον, ὅπου αἱ εἰκόνες τίθενται: ultima verba nonnulli ad ἐνώπια retulerunt, de imaginibus in atrio positis cogitantes, Elmsleius vero (ad Eurip. Bacch. 595.) ad προνώπια spectare putat, quia in vestibulo apud Graecos deorum patriorum simulacra steterint (coll. Soph. El. 1375.). Sane τά προνώπια sunt πρόθυρα sive πρόπυλα, quod docet praeter Baccharum locum Eurip. Hippolyt. 374:

Τροιζήνιαι γυναῖκες, αἳ τόδ' ἔσχατον οἰκεῖτε χώρας Πελοπίας προνώπιον.

Sed quum per vestibulum transeatur in porticum, nemo non videt, ἐνώπια et προνώπια facile confundi potuisse. Quare Tragici vocem ἐνώπια hac quidem significatione non praebent,[16] sed semper προνώπιον dixisse videntur. Itaque crediderim, voce ἐνώπια sensim obliterata, προνώπιον eius locum obtinuisse et in formando hoc vocabulo Graecos, verae originis oblitos, illud ν ex Homerica voce ortum reservasse, non sine aurium iudicio, quanquam analogiae quadam specie erant decepti. Eustath. ad Il. II, 643. suo more dicit: προνώπιον, οὐ ἐντελὲς τὸ προενώπιον (conf. ad I, 197.); sed nemo unquam προενώπιον dixerat.[17] Ceterum ἐνώπια et προνώπια sive ab ὤψ, sive ab

---

κατωνάκη fortasse ad stirpem hac referendae sunt: nam νάκος proprie est, αἴγειον δέρμα μετὰ τριχῶν (Hesych.), pellis, quae capto animali detrahitur, velut βοάγρια, τὰ τῶν βοῶν ἀγρεύματα bene explicat Schol. Il. XII, 22.; ac talia venando nacti sunt homines agrestes, qui tridente in venatione uti poterant.

16) Aeschyl. Suppl. 146. faciem vocat ἐνώπια.

17) Exstat praeterea Bacch. v. 601. adiectivum προνώπιος:

ὀπή derivantur, perinde est. Similiter explicaverim adiectivum προνωπής, quod significat: pronum, praecipitem, proclivem[18]) Aesch. Agam. 234. Eurip. Alc. 143. 186. Androm. 720. Refero id ad obsoletum substantivum ἐνωπή, cuius dativus ἐνωπῇ adverbii loco legitur Il. V, 374. et accusativus per metaplasmum formatus κατενῶπα s. κατένωπα Il. XV, 320.; adde ἐνώπια, quod apud Aeschylum Suppl. 146. faciem significat, velut ὑπώπια partem faciei Hom. Il. XII, 463. et Eurip. fragm. Euryst. I. Itaque προνωπής ex πρό et ὤψ formatum arbitror, non interposito ν, sed aberrantibus Graecis ad vetustam vocem ἐνωπή, quae idem fere atque simplex ὤψ significat.

Iam transeo ad consonam δ, quam syllabae articulari inseri posse, sibi persuasit Buttmannus Lexilog. I, p. 126., incerta confirmans incertis seu potius falsis. Sed brevis hoc loco esse possum post doctissimam disputationem Lobeckii ad Aiac. v. 931. p. 402. prolatam. Quid enim? ἀλλοδαπός Il.XVI, 550. Od. III, 74. etc. παντοδαπός Hymn. Cer. 402. Pind. Ol. 8, 26. a praepositione ἀπό derivemus, interposita consona? Ut taceam accentum et motionem (conf. Od. IX, 36. Pind. Pyth. 3, 7. 4, 50. 254. Soph. fragm. Phaedr. I. Eurip. Hel. 532.), quae in compositis dubiis nonnunquam simplicium leges sequuntur;[19]) optime quaerit Lobeckius (ad Aiac. p. 402.): quis vidit unquam vocabulum Graecum Latinumve praepostero ordine in praepositionem desinens?[20])

πῶς προνώπιος
φαίνει πρὸς οἴκοις τοῖς ἐμοῖς, ἔξω βεβώς;

ubi προνώπιος dici poterat de homine ad προνώπια stante, velut ἐξώπιος δωμάτων: procul a domo remotus Med. 624. Suppl. 1042. Alc. 564. et ἔξεδρος Hippol. 932. Iphig. Taur. 80., sed offendit in illo Baccharum loco Valckenarius (ad Hippol. 374.) non iniuria: quid enim? nonne languent verba πρὸς οἴκοις τοῖς ἐμοῖς, quum modo dictum sit, stare illum ad προνώπια, quae sunt pars aedium? Vide igitur, ne legendum sit προνωπίοις φαίνει πρὸς οἴκοις τοῖς ἐμοῖς, id est ἐν προνωπίοις τῶν ἐμῶν οἴκων.

18) Hesychius: προνωπής. προτεταμένος, προνενευκώς, προπετής, ἕτοιμος, πρόχειρος. — Ceterum in voce προνωπής sunt qui de πρηνής, pronus cogitent, consonam ad primam partem referentes. Sed quomodo prima syllaba corripi poterat?

19) Talia sunt αὐτομάτη, τηλυγέτη, διπλῇ apud Homerum et φρούδη apud Tragicos.

20) Attamen nulla derivandi ratio tam inepta, quam non produxerint halu-

At ipse Buttmannus diu ante quam Lexilogum scriberet, in libris suis grammaticis ἀλλοδαπός, παντοδαπός cum ποδαπός, ὑμεδαπός, ἡμεδαπός ad pronomina retulerat. Ceterum credo equidem, paragogicam esse syllabam δαπ; sed videtur cognata cum substantivis δάπεδον, ἔδαφος, velut in omnibus linguis et antiquis et recentioribus terminationes formantur e stirpibus vocabulorum.

Deinde Buttmannus ἐχθοδοπῆσαι Il. I, 518. ἐχθοδοπός Soph. Aiac. 931. Philoct. 1132. cum χαροπός (Od. XI, 610.) comparans, ab obsoleto verbo ὄπτω derivat, secutus Eustath. ad Il. I, 293. 518. Rectissime id refutat Lobeckius, paragogen in hac quoque voce animadvertens. Equidem non dixerim, compositam esse vocem; sed crediderim tamen in illa formanda Graecos de vocibus δοῦπος, δέδουπα cogitasse, quarum simplicissima stirps δοπ in terminationem abiit, dudum omissa originis recordatione: ita elegantissime Sophocles ἐχθοδοπά dixit inimica verba et Homerus ἐχθοδοπῆσαι: maledicta iactare, obiurgare. — Restat πολυδίψιον Ἄργος Il. IV, 171., in quo explicando non minus laborabant veteres, quam Danaides in aqua haurienda, neque plus videntur profecisse.[21] Quum vero iam antiquis temporibus significatio eius vocis aeque incerta fuerit atque derivatio, in hac quidem quaestione nulli est usui. Addam tantum, et Heynium ad Il. Tom. IV, pag. 590. et Ellendtium in Lexic. Soph. v. δίψιον hunc pleonasmum τοῦ δ improbare.

Denique consona insiticia habetur κ in adverbio μηκέτι, quod iam apud Homerum saepius occurrit. Venit mihi in mentem, ut in ea voce particulam κέ agnoscerem, inter μή et ἔτι facile interpositam. Sed nimis artificiosa haec ratio videtur, neque dubito, quin μηκέτι ad analogiam adverbii οὐκέτι formatum sit, velut προνώπια, προνωπής ex ἐνώπια, ἐνωπή orta vidimus.

Sed satis et temporis et spatii impendimus ad refutandos Grammaticorum errores, quos hodie nemo fortasse est, qui credat. At leguntur in Lexicis vulgaribus et pueris vel invitis inculcantur; quibus libris utinam tandem incerta ac dubia nolint inserere auctores!

---

cinantes veteres Grammatici! Erat olim Grammaticus, teste Eustathio (ad Il. XIII, 626.), qui καρδία explicabat διὰ τὸ κῆρ et σκιάδιον διὰ σκιάν.

21) Conf Eustath. ad Il. I, 3. 451. IV, 171. Schol. ad IV, 171. et Strabonem potissimum VIII, 6.

§. 3. De originatione vocis ἀγκυλοχείλης. Recensentur exempla adiectivorum compositorum in ης primae declinationis desinentium, ex Homeri carminibus collecta.

Eruimus supra e vocabulis ἀπηνής, προςηνής simpliciorem formam vocis ἠνία, quales multas latere in compositis, et per se credibile est et exemplis potest demonstrari. Age accedamus ad aliam vocem difficiliorem, in qua prototypon a vulgari usu remotum vel prorsus obsoletum reperisse mihi videor.

Exstat Od. XIX, 538. ἀγκυλοχείλης et plurali numero ἀγκυλοχεῖλαι Il. XVI, 428. Od. XXII, 302. Hesiod. scut. Herc. 405., qua in voce iam veteres haerebant. Illud quidem quod Eustathio (p. 1068. 48.) difficultatem peperit: de aquilis non χεῖλος dici, sed ῥάμφος, hodie neminem movebit: sed videntur veteres Grammatici de originatione inter se certasse, quod elucet ex Eustathii verbis: ὅπως ἂν καὶ παραχθείη ὁ ἀγκυλοχείλης, ἔχει ἀντιλογίαν. Nonnulli quidem a χηλή derivabant,[22] vocalem η in diphthongum ει mutatam putantes secundum dialectum Boeotorum: at refutabantur iam ab antiquis pleonasmo appositi γαμψώνυχες (Il. XVI, 428.), neque illa τροπή idoneis exemplis adstrui potest. Paulo melius alii in Schol. ad Il.: παρασύνθετον ἐκ τοῦ ἀγκυλόχειλος, unde corrigendum Etymol. M. 11, 23. σεσημείωται τὸ ἀγκυλοχείλης· κακῶς δὲ σεσημείωται. οὐ γάρ ἐστι σύνθετον ἀλλὰ παρασύνθετον.[23] Non tam inepti erant illi, qui de terminatione vocis quaerebant: nam qua analogia a neutrali substantivo χεῖλος derivari potuit adiectivum primae declinationis ἀγκυλοχείλης? Haec reperi exempla a χεῖλος composita: αὐτοχειλέσι ληκύθοις Soph. Androm. fragm. VI., quod Hemsterhusius (ad Poll. X, 120.) correxit, eleganti coniectura αὐθολίθοισι scribens. De lectione aliis iudicium relinquo: sed vocem αὐτοχειλής probam censeo et secundum legem formatam, velut ἰσοχειλής Xenoph. Anab. 4, 5, 26. Apollon. Anthol. Pal. VI, 105.; ταχυχειλεῖς αὐλοί Leonid. Anthol. Pal. V, 206.; ubi παχυχειλεῖς restituere voluit Reiskius; κοιλοχείλεα (l. κοιλοχειλέα) κύμβαλα Philipp. Anth. Pal. VI, 94.; ἐπιχειλῆ πόλιν Arirtoph. Equit. 814., quae vox exstat etiam apud

22) Exstat ἀγκυλοχῆλαι καρκίνοι Batrachom. 296.

23) In usu fuisse formam ἀγκυλόχειλος, quae in antiquis Lexicis passim occurrit, pro certo inde colligi non potest; sed credibile id quidem est, et probabili coniectura eam vocem Crinagorae restituit Salmasius Anthol. Pal. VI, 229. Conf. Jacobs. Not. Crit. p. 179.

Alciphronem et Themistium et Synesium, et simile est ὑπερχειλής, quod Lexicographi praebent, nescio unde desumtum; ἀρτιχείλης apud Hesychium,[24] quod scribendum ἀρτιχειλής; nam videntur vel Grammatici vel ipsi scriptores in accentu horum vocabulorum errasse, ad Homericam vocem, cuius alia est ratio, respicientes. Formae in — χειλος terminatae, nisi fallor, post Christum natum ortae sunt, velut ipsum illud ἀγκυλόχειλος, de quo modo dixi, et βαρύχειλος Ammian. Anth. Pal. XVI, 20., ὑπέρχειλος, quod Lexica praebent, ἀνθερόχειλος Tzetz. Posthom. 506.: sed nullum omnino reperi exemplum ad primam declinationem formatum.

Huic igitur difficultati ita succurrendum putabant Grammatici, ut ἀγκυλοχείλης ab ἀγκυλόχειλος deflecterent, non reputantes illi quidem, hanc formam recentissimam esse. Sed spectabant ad notissimam dicatalexiam adiectivorum in ος et ης, quae ex ipsius Homeri carminibus multis confirmari potest exemplis. Ita Poeta habet ἀκερσεκόμης Il. XX, 39. constans Apollinis epitheton, quod ab eo acceperunt ceteri: Hesiod. fragm. XXIX. Auct. Hymn. Apoll 134. Pind. Isth. 1, 7. Nicomed. Anth. Pal. XVII, 56. Hymn. Apoll. ibid. IX, 525, 2. Orph. Lith. 394. Nonn. Dionys. X, 207.; nonnulli in ἀκειροκόμης mutarunt Pind. Isthm. 1, 7. Pyth. 3, 14. conf. Anth. Pal. XVI, 72. Orph. Lith. 508. Alteram formam ἀκερσέκομος de Apolline habet Nonnus XV, 49., genitivum ἀκερσεκόμαο evitans; femininis et neutralibus saepius formam secundae declinationis apposuit X, 29.[25] XI, 239. XIV, 232., quod terminationis causa facere debuit, ob id tantum vituperandus, quod constans Apollinis epitheton ad vulgarem usum detorquebat, velut ἀκερσεκόμης Βότρυς XVIII, 12. ἀκερσικόμοιο τοκῆος XXV, 161.; eodemque modo voce ἀκειρεκόμης abutitur Auct. Epigr. Anth. Pal. XVI, 72. et Tzetz. Hom. 58. Cetera a κόμη composita Homerus omnia in ος format: ἀκρόκομος, ἱππόκομος, ἀμφίκομος, ὑψίκομος, καλλίκομος, ἠΰκομος, quae omnia terminationem retinebant, si exceperis καλλικόμαν πλόκαμον Eurip. Iphig. Aul. 1067.[26] et ἀκροκόμης, quod Pollux habet, fortasse errore

---

25) Addendum est hoc vocabulum Lexicis nostris.

25) H. l. et alibi est v. l. ἀκερσικόμοιο, quam Dindorf (ad Steph. Thesaur. L. Gr.) restitui iubet.

26) Ita enim verba construenda sunt, neque pro feminino καλλικόμαν habendum, quod neque linguae usus patitur, neque ipsa loci sententia. Adde h. v. Lexicis.

lapsus, ut recentissimus quidam Epigrammatum auctor (conf. Steph. Thes. s. v.). Plura in *κομης* (*κομας*) exeuntia praebent ceteri Epici et Lyrici et Tragici et aliorum generum poetae: *χρυσοκόμης* Hesiod. Theogon. 947. de Dionyso, quod postea de Apolline potissimum dictum a Pindaro Ol. 6, 41. Isthm, 7, 32 Eurip. Suppl. 977. Iphig. Taur. 1202. Troad. 258. Scol. apud Athen. 15, 50. Orph. Hymn. 34, 9. et de Erote Anacr. apud Athen. 13, 72. Eurip, Iphig. Aul. 538. Altera forma *χρυσόκομος* utitur Mnasalk. Anth. Pal. VI, 264. Adde *ἁβροκόμης*, quod Bacchi proprium fuit, Hymn. in Bacch. Anth. Pal. IX, 524, 2. Nonn. Dionys. XVI, 172., ad alios etiam transfertur deos et homines: Meleagr. Anth. Pal. XII, 164. 256. Orph. Hymn. 56, 2. Nonn. X, 426. XIII, 91. XVI. 172.*); sed audacissime Euripides *ἁβροκόμαν φοίνικα* dixit Iphig. Taur. 1062. Jon. 920., cui simile est, quod ipse habet, *καλλικόμαν πλόκαμον*; Epici vero haec omnia in -*κόμης* exeuntia non nisi diis et hominibus applicare solent, formis in *κομος* terminatis promiscue utentes. *Ἁβρόκομος* Nonnus habet XIII, 559. XV, 47. et si accentum genitivi servamus, XIII, 456.: adde Marianum Anth. Pal. IX, 668. *ἁβροκόμων Ἁμαδρυάδων.* Iam accedunt *κισσοκόμης Διόνυσος* Hymn. Hom. 25, 1. *κισσοκόμας Σάτυρος* Macedon. Anthol. Pal. VI, 56. *φριξοκόμᾳ Πανί* Anyt. Anthol. Pal. XVI, 291. Neque tamen Epigrammatum scriptores ea lege prorsus tenentur, qua Epicos adstrictos vidimus; sed Euripidis exemplo ad varias res haec alte sonantia epitheta transferunt, quod in tenui carminum genere magis etiam adfectatum et recentioris aetatis indicium est: velut *κοσμοκόμην κτένα* dixit Philippus Anth. Pal. VI, 247. Bene igitur elegantissimus Meleager liberatus est pessima lectione *ἀρτικόμαν καρπόν* Anthol. Pal. XII, 127, 2., pro quo nunc legitur *ἄρτι κόμαν καρπῶν*, conf. Iacobs. p. 760. Minus offendo in Rufini v. Anth. Pal. V, 19, 5. *δενδροκόμης Ἐρύμανθος*, quod vel antiquiori poetae concesserim.[27] Correctione eget Philipp. Anthol. Pal. VII, 383. ubi invita Grammatica *ἐρημοκόμης κόρσῃ* iungenda videntur, etiamsi Codex Pal. *κόρσῃ*, Aldina *κόρσην* habeat. Utrumque a correctore profectum est, et legendum *ἐρημόκομος*;[28] nam quod apud Passovium

---

*) Similiter *χρυσοκόμης* de homine dixit Tzetz. Hom. 222.

27) *δενδρόκομος* Euripides habet Hel. 1107. et Aristoph. Nub. 280.

28) Mihi quidem locus ita constituendus videtur:

τῇ μὲν ἐρημόκομος καὶ χήρη κεῖται ὀδόντων κόρσῃ.

nisi fallor alterius utrius adiectivi terminatio, in margine forte correcta,

legimus, nescio cuius inventum: ἐρημοκόμης, ες ad tertiam declinationem formatum, id in voce κόμη novum prorsus et inauditum est, neque dubito vel Tzetzae Anteh. 354. ξανθόκομος restituere.[29] Cetera, quae apud varios poetas legi, in κομος exeunt omnia: χλωρόκομος, σκιαρόκομος, ὑλόκομος, κατάκομος, apud Tragicos; οὐλόκομος, ἀφρόκομος, ὀπισθόκομος, δρακοντόκομος, ἐχιδνόκομος, ἀνθόκομος, ξανθόκομος, apud Nonnum; δαφνόκομος, ὀξύκομος apud Anthologiae auctores; neque tamen dubium, quin horum quoque nonnulla alteram formam patiantur, velut ὀπισθοκόμαι, quod Pollux habet.

Alterum dicatalexiae exemplum sumam a voce τέχνη: κλυτοτέχνης Ἡφαιστος Il. I, 571. XVIII, 143. 391. Od. VIII, 286. Hymn. 19, 5.; comparandum est κακότεχνος δόλος Il. XV, 14, quam vocem repetiit Automed. Anth. Pal. V, 129. conf. Philodem. ibid. 132. Accedit vox Pindarico spiritu digna: ἀριστότεχνα πάτερ Fragm. Paean. 6. Postea in hac quidem familia usu factum est, ut adiectiva fere omnia ος acciperent: πάντεχνος Aeschyl. Prom. 7. καλλίτεχνος Strabon. I. cap. 2. εὑρεσίτεχνος Orph. Hymn 32, 14., ὁμότεχνος Pseudo-Phocyl. 82. Damochar. Anth. Pal. VII, 206. et vulgaria illa ἄτεχνος, εὔτεχνος; substantiva terminatione ης discernerentur: χειροτέχνης Soph. Trach.

---

alteri corruptelam peperit. Ceterum κόρση pro capite dictum ab Aristotele Anthol. Pal. XVII, 9, 47.

29) Omnino ea heteroclisia rarissima est, quanquam primo adspectu facilis videtur. Homeri vocem βαθυδίνης (Il. X, 73. Od. X, 511) ita mutavit Nonnus βαθυδίνεϊ (l. βαθυδινέϊ) κόλπῳ dicens XXII, 2. et πολυδινής V, 156. XIV, 208. Contraria est terminationis mutatio, qua auctor Lithic. v. 715. usus est in accusativo μελαγχροίην; nam apud Homerum Od. XVI, 175. μελαγχροιής ὀξυτόνως scripserunt Grammatici, Atticam formam μελαγχρής comparantes (conf. Lobeck. Paralip. p. 256.); conf. εὔχροές δέρμα Od. XIV, 24. Sed in Homeri versu videtur olim accentus discrepantia fuisse: id quod ipsa docet Scholiastae nota, quam non addidisset, nisi in re dubia, et lectio veterum Edd. μελαγχροίης, quam Seberus in Lexicon suum retulit. Erant olim, nisi fallor, Grammatici, qui hunc nominativum ad primam declinationem reducebant: atque hos Grammaticos imitando secutus est Lithicorum auctor. Ceterum Homerus μελανόχροος habet Od. XIX, 246. — Nisi tam rara essent talia, Grammatici ἀγκυλοχείλης per heteroclisiam ab ἀγκυλοχειλής repetere potuissent, quo facto multas difficultates evitassent. Hodie equidem nullam probandam censeo heteroclisiam, quae non ex forma simplicis prototypi aliqua ratione derivari possit.

1003. Aristoph. Plut. 533. Appian. Mithrid. 92. Sed adiectiva in ος patiuntur heteroclisiam in ής tertiae declinationis, velut πολυτεχνέα κόσμον Orph. Arg. 587.; id passiva significatione a πολυτέχνης, quod activam vim habet, prorsus differt atque cum πολύτεχνος potius conferendum est, ut ἀτεχνής cum ἄτεχνος, quae non sine significationis discrimine dicuntur. Activa significatione παντοτεχνής pro πάντεχνος habet auctor recentissimi carminis Hymn. Orph. 10, 20.

Tertio loco ponam composita a χάρμη (i. e. μάχη): μενεχάρμης Il. XV, 582. XIII, 396. XXIII, 419. XI, 122. 303. IX, 529. constanter a χάρμη derivant veteres (conf. Eustath. ad Il. IX, 529.); sed dubitabant de altera forma μενέχαρμος Il. XIV, 376., quem locum Zenodotus omiserat et Aristophanes spurium habuit: haerebant illi potissimum in sententia loci, ad augendam dubitationem obiter formam vocabuli notantes,[30] cui nullus canon Grammaticorum fidem abrogat. Habet μενέχαρμος Nonnus Dionys. XX, 363. VIII, 219. et μενεχάρμης praebet Orph. Arg. 217. Accedat ἱππιοχάρμης Il. XXIV, 257. Od. XI, 259. Hesiod. fragm. XXVIII, XXXVII., de cuius originatione veteres dubitabant: Apollon. Lex. p. 366. ἤτοι χαίροντα ἵπποις ἢ ἐφ' ἵππων μαχόμενον, et similiter Schol. Od., Hesych., Etymol. M. Sed bene Meiringius[31] observat a substantivis neutralibus in μα exeuntibus nunquam derivari composita in ης primae declinationis. Qui inter nostrates de voce χάρμα cogitabant, commoti videntur Pind. Ol. 1, 23., ubi Hieronem ἱπποχάρμαν βασιλῆα vocat, equis gaudentem s. deditum rei equestri: at Pindaro ἱπποχάρμας nihil aliud est, quam ἱππότης; et unde tandem χαλκοχάρμαι ξένοι Pind. Pyth. 4, 77. χαλκοχάρμαν πόλεμον Isth. 5, 27. σιδαροχαρμᾶν Pyth. 2, 2. ἀκαμαντόχαρμαν Αἶαν fragm. 76. melius derivari possunt, quam a χάρμη? Frustra igitur obnititur Dissenius ad Pind. p. 184. Argumenti loco accedat πολύχαρμος Asclepiad. Anth. Pal. V, 202., quod bene tuetur et a χάρμη derivat Jacobsius (Not. Crit. p. 97.). Itaque ἱππιοχάρμης quoque a χάρμη ducendum est ac valet ἱππόμαχος (Schol. Il. 24, 257.). Repetiit vocem Aeschylus Pers. 29. 106. Ceterum vides, haec omnia in χαρμης exeuntia composita ab Epicis non nisi virorum nominibus esse apposita, a quo usu discedunt Pindarus Isth. 5, 27. et Aeschylus Pers. 106., epitheta a dimicantibus ad ipsum certamen referentes.

30) Schol. ad l. Il. τὸ μενέχαρμος οὐκ οἶδεν ὁ ποιητής.
31) Dissert. de subst. copul. apud Homer. p. 26.

Haec exempla satis ostendunt, illam terminationis variationem in ος et ης, quam veteres Grammatici in v. ἀγκυλοχείλης observasse sibi videbantur, iam Homeri aetate in usu fuisse.

Sed apparet etiam, haec adiectiva in ης una cum substantivis similiter formatis, quae quidem apud Homerum exstant, omnia a femininis primae declinationis esse orta: quod ut clarius etiam perspiciatur, cetera huius familiae exempla ex Homeri carminibus collecta strictim attingam.

A δίνη deducuntur ἀργυροδίνης Il. II, 753. XXI, 8. 131. βαθυδίνης Il. X, 73. XXI, 143. 212. Od. X, 511.; comparetur ἠεροδίνης Anth. Pal. IX, 223.: per paragogen formatum est βαθυδινήεις Il. XXI, 5. 603. Ab εὐνή, χαμαιεῦναι Il. XVI, 235. quod fortasse quispiam pro substantivo habuerit: cetera quidem quae collegi omnia ος habent: σύνευνος, πάρευνος, δυςπάρευνος, ὅμευνος; sed feminini forma χαμαιευνάδες Od. X, 243. XIV, 5. illud quoque in adiectivorum numero retinet, atque exstat sane adiectivum (λέοντες) χαμαιεῦναι Fragm. Ined. Orph. 32. Deinde ab ἥβη descendit πρωθήβης Od. VIII, 263. Il. VIII, 518. Hymn. Ap. 450. Hymn. min. 6, 4 Apoll. Arg. 1, 132. Damag. Anth. Pal. VII, 438.; simile est ἀκρήβης Anth. Pal. VI, 71. XII, 124. Altera forma ἄκρηβος exstat Theocr. Idyll. 8, 93; adde ἔξηβος, σύνηβος apud Tragicos. A μελίη Homerus derivat ἐϋμμελίης, quod repetunt Hesiodus, Apollonius, alii, et simile est φερεμμελίης Mimnerm. XI, 4. A μίτρη, αἰολομίτρης Il. V, 707. ac similiter χαλκομίτρας Pind. Nem. 10, 90. χρυσομίτρας Soph. O. T. 209. χρυσεομίτρης Anth. Pal. IX, 504, 32. Bacchi epitheton constans, quod ad alium usum adhibitum apud Athen. 4, 5. Tum a ποίη, λεχεποίης Il. IV, 383.; neque dubito, quin Eustathius id epitheton Il. II, 697. recte pro masculino acceperit; iam si idem valet de Hymn. Ap. 224. Merc. 88.[32]), prorsus concidit Passovii femininum λεχεποίη, quanquam id formari potuit, velut πρωθήβη Od I, 431. et χειρὶ μεναίχμῳ Anth. Pal. VI, 84. Denique a χαίτη descendit κυανοχαίτης, quod Neptuni epitheton frequentissimum apud Homerum, repetitur ab Hesiodo, Pseudo-Orpheo, Nonno, aliis; ἱππιοχαίτης λόφος Il. 469.; et post Homerum haec familia admodum aucta est: comparentur βαθυχαίτης, μελαγχαίτης, εὐρυχαίτας, ὑψιχαῖτα, χρυσοχαῖτα, ἁβροχαίτης, βοτρυοχαίτης, δασυχαίτης,

32) Etenim Ὀγχηστός masculini generis est Il. II, 506. Hymn. Merc. 190. et in Hymn. Apoll. 224. Stephan. Byz. v. Τευμησός non urbem, sed montem intellexit.

εὐχαίτης; neque dubito Orph. Arg. 1064. in v. Βαθυχαίτων accentum corrigere Hisce omnibus adde substantiva λαβραγόρης Il. XXIII, 479. ὑψαγόρης Od. I, 385. II, 85. αἰναρέτη Il. XVI, 31. ἀκοίτης et παρακοίτης, ad quorum similitudinem Hesiodus ὑληκοῖται op 527. et alii adiectiva finxerunt, ut Sophocles παγκοίτας, χαμαικοίτης (nisi placet accentum mutare Trach. 1168.) et δρυοκοίτης, πυρικοίτης, ἀῤῥενοκοίτης Anthol. auctores. Denique proprium Πυραίχμης Il. II, 848. analogiam praemonstravit multis adiectivis: κραταιαίχμας, εὐρυαίχμας apud Pindarum et φιλαίχμας apud Aeschylum.

Hisce Homericis nonnulla nova addiderunt ceteri Epici, summi poetae exemplum plerumque sequentes; plura procudit Pindarus, nova verba devolvens, ut Horatius inquit; multa Tragici carminibus suis tanquam lumina indiderunt, quae ridet facetissimus fastus Tragici insectator Nub. 335. ἑκατογκεφάλα Τυφῶ proponens; atque Anthologiae auctores, qui nullum non imitantur poetam, hac quoque in re eleganti sua luxuria usi sunt. Sed ut supra monui, haec omnia Homerus a femininis primae declinationis derivat, nunquam a vocabulis secundae, velut Empedocles ἀλεξανέμας, κωλυσανέμας protulit et Euripides λευκολόφας[33]), cuius formationis vestigia iam apud Aeschylum reperiuntur Sept. 115., ubi Dorica forma δοχμολοφᾶν ἀνδρῶν, quam ex coniectura Brunckius dedit sequentibus Schuetzio et Seidlero (de vers. dochm. p. 184.), confirmatur lectione cod. Florent. δοχμολοφῶν. Talia non equidem omnino Graecae linguae abiudicaverim, sed Dorica censeo, Lyricis et Tragicis concedenda: apud Homerum quidem nullum video exemplum. At a neutalibus tertiae declinationis in ος desinentibus neque apud Homerum neque apud alium quemquam talia derivantur: quare constat ἀγκυλοχείλης a χεῖλος derivari non posse.

Redeo ad Grammaticorum παρασύνθεσιν, qua ἀγκυλοχείλης ab ἀγκυλόχειλος deducunt; contra eam sententiam iam supra monui, omnia in χειλος exeuntia recentissimae esse aetatis. Quum vero sint, qui talia casu fieri existiment, gravius etiam proponam argumentum atque ostendam, talem vocem non modo non exstare apud Poetam sed a neutrali χεῖλος ne formari quidem potuisse.

Quae derivat Homerus a neutralibus substantivis ἄλγος, ἄνθος, ἄχθος,

---

33) Hoc ultimum Lobeckius ad Aiac. p. 293. ab obsoleta forma λόφη derivari vult, eadem ratione usus, quam statim in v. ἀγκυλοχείλης initurus sum.

βάθος, βάρος, βέλος, βένθος, γλάγος, δέος, ἔγχος, εἶδος, ἔπος, ἔτος, ἦδος, θάρσος, κέρδος, κῆτος, κάλλος, κῦδος, μένος, μήδεα, μῆκος, νέφος, πένθος, πλῆθος, σθένος, τέλος, ψεῦδος plurima composita, omnia in ης tertiae declinationis formata esse, sciunt qui illa carmina strictim attigerunt [34]. Qua tandem ratione a χεῖλος ἀγκυλόχειλος? In uno tantum vocabulo Homerus analogiam deseruit, εὐτείχεον Τροίην dicens Il. I, 129. VIII, 241. II, 113. etc., semel secundum legem εὐτείχεα XVI, 57. in quo Grammatici accentum mutare nolebant ob metaplasmi speciem. Conf. Lehrs Quaest. Epic. p. 149. In v. εὐτείχεος vetustissimam videmus formandi rationem, ad genitivum substantivi referendam: vulgari modo Pindarus dixit εὐτειχής, μελανοτειχής; adde Anthol. XVII, 214. θεοτείχεα Τροίην, ubi scribendum θεοτειχέα. Sed neque a τεῖχος εὔτειχος derivare poterat Homerus, ut Eustathius inepte refert ad Il. XVI, 57, neque a ξίφος, ἄξιφος, quod miror Grammaticum in Schol. ad l. Il. protulisse, quum ab Homeri usu ea vox prorsus abhorreat; et καλλίφαρος, quod olim legebatur pro καλλιβλέφαρος Eurip. Ion. 189., vox nihili est, quam non debuit recipere Passovius.

Neque tamen nego, esse quaedam exempla contra analogiam formata. Primum difficile est ἀξιόμισον ἔθνος Aesch. Eumen. 366., quod qui a μισῶ derivant, non multum lucrantur; idem poeta secundum analogiam dixit παντομισῆ κνώδαλα ibid. 644. Vocem μελανόστερφος e fragm. Aeschyli (404.) apud Schol. Apoll. 4, 1348 protraxit Schneiderus, ubi μελανοστερφῶν scribendum censeo, nisi alius certior locus in promtu est. Sed mira est vox εὔειρος s. εὔερος Sophocl. Trach. 675. Aristoph. Av. 121. Leonid. Tarent. Anth. Pal. VII, 657., de cuius media syllaba accurate monuit Lobeck. ad Phrynich. p. 146. ad Aiac. p. 353. conf. Ellendt. Lex. Sophocl.: sed haereo in terminatione, quam Grammaticorum consensu firmatam video. Deinde φιλόνεικος non modo Pindarus praebet Ol. 6, 19. sed in prosam etiam orationem venit Plutarch. Sull. c. 15., quanquam πολυνεικής adiectivum e poeta quodam affert Schol. Il. XVI, 57., accentu a proprio nomine Πολυνείκης diremtum. Tragici quidem in hac familia analogiam sequuntur: πολυνεικής Aesch. Sept. 815 (839) ἀμφινεικής Aesch. Agam. 687. et Soph. Trach. 104. unde Hesychius, libris suis deceptus, ἀμφίνεικος affert. Fortasse dialectus Dorica vel Aeolica tales formas magis ada-

34) νηλεής, νηλής quis non mavult ab ἐλεῆσαι ducere, quam ab ἔλεος quod semel apud Homerum Il. XXIV, 44. occurrit?

